

nibus non-viventium. Sed proprietates et operationes diversae ac praestantiores arguunt naturam viresque item diversas et praestantiores. Ergo...

III. — Ex unitate finis in quem conspirant operationes omnes vegetativae. — Organismus vegetans, ab initio, non existit nisi virtualiter in cellula quadam germinali simplicissima. Sed cellula haec, si in debitis adiunctis inveniatur, sese multiplicat et plurimis aliis originem praebet, quae, apte dispositae, efformant embryonem. Porro organismus embryonalis pedetentim, mira constantia et sapientia, evolvitur in organismum perfectum, qui multis ac variis partibus instruitur iuxta typum praefinitum, quique (actionibus diversis, sed semper in eundem finem conspirantibus, suarum partium) tenaciter seipsum servare studet, ac reapse servatur plus minusve pro varia sua indole et conditione, non obstante immutatione continua materiae qua coalescit. Age nunc; tanta ac tam iugis conspiratio in unum eundemque finem expostulat adaequatam causam. Sed causam eiusmodi nequeunt esse vires materiae qua organismus successive coalescit; siquidem ipsae (quippe quae sunt admodum multae, diversae, imo etiam oppositae, ac per se prorsus indifferentes ad construendum quemlibet organismum), ut ordinate iugiterque conspirant ad organismum unius, potiusquam alterius speciei, formandum, explicandum, conservandumque, necessario indigent principio aliquo superiori, diverso pro diversis organismorum speciebus, quod illas sibi ipsi subordinet, dirigat et in communem finem constanter inclinet.

IV. — Ex auctoritate divina et humana. — Divina, propter ea quae leguntur in libro Genesis (cap. I, v. 11): « *Et dixit (Deus): Germinet terra herbam virentem et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita* ». His verbis Moyses evidenter tribuit originem plantarum, non praexistentibus viribus physicis et chemicis, sed virtuti peculiari imperio divino materiae anorganicae superadditae. — Humana, enimvero etiam hac nostra aetate, in qua philosophia cartesiana et mechanica longe lateque grassatur, physiologi quamplurimi, optimae notae, *principium vitale*

agnoscunt in plantis sicut et in caeteris organismis superioribus (1).

**Coroll.** — Abiogenesis seu generatio spontanea, non solum factis, sed etiam rationi et Scripturae opponitur.

**Obi. I.** — Phaenomena vitalia explicari possunt temperamento (*risultanza*) quodam virium materiae brutae in organismo coadunatae tanquam in machina. Ergo censere possumus principium vitae nihil aliud esse quam temperamentum quoddam virium materiae brutae.

**R.** — *Nego antec. et cons.* Re quidem vera:

**I.** — Non viget paritas ulla inter operationes viventium et operationes machinarum, ad quas adversarii nos provocant. Res liquet si ponderas: — 1) viventia ex seipsis efformari, partes suas conservare, consolidare, reficere et quandoque

(1) « Un fatto ovvio all'osservazione di chicchessia è l'essere i corpi viventi, per certe loro prerogative e singolarmente pel loro nascere, crescere e morire, affatto distinti dagli altri corpi della natura; e perciò dovere eziandio possedere una *forza particolare* o *proprietà* che di tali particolari loro fenomeni sia cagione. Onde ella fu antichissima la ricerca di quel *principio* che dà vita e moto agli esseri organizzati; nè il *calor innato* o *natura* d'Ippocrate, il *pneuma* dei Dogmatici, la *forma* o *energia* di Aristotile, il *demone* degli Esseni, l'*archo* di Paracelso ed Elmonzio, l'*anima* di Sthal, la *forza nervea* di Hoffmann e di Cullen, l'*irritabilità* di Kaller, il *principio vitale* di certuni ecc. ecc., sono altra cosa che la significazione dell'universale convincimento ch'esista una particolare proprietà o forza *inerente* alla materia organizzata » (BUFFALINI, *Fondam. di Patol. Anal.*, tomo 1, pag. 51-2, Pesaro 1828). — « Gli esseri organici differiscono dagli inorganici in questo, che sono costretti ad una continua progressione: vale a dire soggiaciono a metamorfosi regolari *aventi la causa in se medesimi* e tendono a un determinato scopo indipendentemente dalle circostanze esterne. Il loro carattere essenziale consiste nell'*avere in se stessi un tipo di cambiamento*, che può bensì essere modificato dalle cose esterne, ma non mai da esse comparito; mentre anzi resiste sino ad un certo punto alla loro influenza » (BURDACH, *Tratt. di fisiol.*, tomo 1, p. 9, Venezia 1841). — « Negli esseri organizzati esiste un'*attività interna* da cui procede il movimento organico delle funzioni e la quale non vien meno con la composizione dell'organo, ma vi dura; anzi mentre l'organo continuamente cangia di composizione e di massa, l'*attività* sua vi rimane come cosa permanente » (TOMMASI, *Istit. di fisiol.* vol. I. p. 96, Torino 1852). — « L'essenza del corpo vivo non proviene dagli elementi organici, ma da un *altro principio* che dispone codesti elementi, e li fa cooperare alla



ex integro reproducere: dum contra nihil huiusmodi in machinis unquam contigit; — 2) necessariam conditionem ut viventia possint vivere, i. e. operari, esse renovationem assiduam materiae, qua coalescunt: ex adverso necessariam conditionem ut machinae operentur esse permanentiam eiusdem materiae.

II. — Certo in unoquoque organismo existunt vires physico-chimicae, et quidem simul attemperatae (1): at (si nolumus effectum ponere sine causa, aut in circulum vitiosum incidere explicando vitam per temperamentum virium materiae brutae, et vicissim temperamentum virium materiae brutae per vitam) necessario, praeter vires dictas, agnoscere debemus in unoquoque organismo vivente, vim quamdam superiorem, diversam pro diversis organismis, quae illas sibi

produzione di un risultamento particolare, determinato e differente per ciascuna specie » (BERZELIUS, *Traité de Chimie*, tom. 2, p. 288). — « Avvi una *forza vitale* che presiede a tutti i fenomeni che si osservano nei corpi vivi; i quali fenomeni senza di lei cesserebbero di prodursi e d'incatenarsi nel loro ordine. Tale forza deve sempre cercarsi e riconoscersi in mezzo alle fisiche, chimiche e meccaniche, delle quali essa si serve mettendole in azione » (ADR. DE JUSSIEU, *Botanica*, p. 304, Milano 1846). — « La *vita*, esercitando sugli elementi che fanno parte del corpo vivo e su quelli che vi attira ad ogni istante un'azione contraria a ciò che senza di lei produrrebbero le affinità chimiche ordinarie, ripugna ch'ella stessa possa essere prodotta da tali affinità » (CUVIER, *Le Règne animal*, Introd. p. 17). — « I corpi inorganici operano senza tregua sopra i corpi viventi, e questi stessi esercitano reciprocamente un'azione continua gli uni sopra gli altri. Ben presto essi soccomberebbero, se in loro non avessero un principio permanente di reazione, il principio cioè della vita » (BICHAT, *Recherches physiologiques sur la vie et la mort*, parte I, art 1). — « Gli esseri viventi non sono punto sottratti all'azione delle forze generali della natura, ma nello stesso tempo sono sottomessi all'influenza della vita, che è pure una forza ed a loro appartiene in proprio. La vita è quella che coordina le forze fisiche e le chimiche in guisa da farne nascere i fenomeni di cui i corpi organizzati ci offrono lo spettacolo » (MILNE EDWARDS, *Leçons sur la Physiolog. et l'Anat. comparés*, ecc. Introduction). (LIVERANI, op. cit. n. 277).

(1) Naturae mos est efficere ut vires inferiores famulentur viribus superioribus. Nec unquam cogitatum est peripateticis vel scholasticis excludendi vires physico-chimicas ab organismis vegetantibus. — « Le circo-

subiiciat et ita disponat, ut primo organismus instruat, postmodum conservetur atque evolvatur.

III. — Si vita nihil aliud esset nisi temperamentum virium materiae elementaris, seu brutae, eo maior et vegetior esset quo maior esset moles materiae simul attemperatae. Sed contrarium prorsus contingere videmus. Quo enim materia est minutior, eo vividior est vita: vividissima autem est primo organismi tempore, quum cellulae multiplicantur et plurima efformantur organa, quorum in cellulis ne vestigia quidem adumbrata conspiciebantur (PESCH, *Inst. philos. nat.*, n. 188).

Obi. II. — Principium, quod a vita nomen accipit, concipi nequit. Atqui in philosophia nihil admittendum est, quod clare et distincte non concipiatur. Ergo...

stanti (vires physico-chimicae) sono evidentemente *condizioni indispensabili* (vitae vegetativae); imperocchè senza il concorso di un calore temperato, di opportuna umidità, di luce più o meno intensa, di giusta pressione atmosferica, di materie idonee tolte dall'aria e dal suolo ecc. ecc., sarebbe impossibile che alcun'anima vegetabile si determinasse unquam e perseverasse nei suoi atti meravigliosi. Le esistenti poi nello stesso corpo vegetante ne sono per sicuro gli *strumenti necessari*; perchè la detta anima non esercita già codesti atti immediatamente con l'essere proprio, ma con le forze *nutritiva, aumentativa e generativa*; e, per queste, con le comuni del *calorico*, dell'*elettricità*, del *magnetismo*, ed, in particular modo, delle *affinità*; che fluiscono pure da essa anima, per contenere ella, come *forma superiore*, tutte le perfezioni dalle *inferiori* largite ai minerali. « Vires animae vegetabilis, così in proposito l'Angelico, exercent suas actiones *instrumentaliter* per qualitates activas et passivas elementorum, quae sunt naturalium actionum principia » (S. Th. 1 p. q. LXXVII, a. 1) Ed è appunto per aver ignorato o dimenticato codesta *instrumentalità* delle forze inorganiche nel negozio della vegetazione che non pochi Medici del passato e del presente secolo, volendo reagire contro le esorbitanze *iatro-meccaniche* e *iatro-chimiche* figlie dell'automatismo cartesiano, impugnarono qualunque intromissione di esse forze nelle pertinenze della fisiologia, e diedero sì facile ed abbondante materia di critica ai Buchner, ai Du-Bois Reymond, ai Moleschott, ed altrettali acerrimi difensori del moderno epicureismo. Se non che questi baccalari, per combattere un eccesso, caddero in un altro anche peggiore. Vale a dire privarono quelle *forze strumenti* della causa *interna* che le muove e dirige, e quindi sottrassero agli esseri organici l'unica dote per cui vanno fermamente ed essenzialmente distinti dagl'inorganici » (Idem, op. cit. n. 278).



R. — *Dist. mai.* Principium, quod a vita nomen accipit, concipi nequit directe et immediate, *conc.*; indirecte et mediate, ratiocinando circa naturam operationum vitalium, quae sunt effectus eius, *nego.*

« Hoc argumento (scite observat Liberatore) valde abutuntur physici et naturalistae nonnulli. Assueti enim observationi et experientiae merae sensibili, putant non haberi ideam claram et distinctam principii vitalis, propterea quod oculis non cernitur et manibus non attrectatur. Sed hoc modo etiam vires affinitatis, attractionis, magnetismi aliaeque consimiles essent repudiandae. Nam hae etiam, quales in se sint, sensibus non usurpatur. Multo magis neganda foret anima belluarum et anima humana, quae minus etiam sensibus aut imaginationi subiectae sunt. Verum haec omnia idcirco indubie admittuntur, quia effectibus manifestantur, et menti satis patent ope ratiocinationis. Idem dicendum est de principio vitali: cuius existentia negari non potest, hoc ipso quod ad explicanda phaenomena vitae sit necessarium. Eius autem notio satis esse clara et distincta, quantum res patitur, putanda est; cum concipiatur tanquam causa effectuum, quos experiendo sentimus » (*Inst. phil.*, vol. II, n. 146).

§ II. QUID PROPRIE SIT PRINCIPIUM VITAE VEGETATIVAE.

Quam satis sit demonstravimus principium vitae vegetativae esse quid diversum ac praestantius viribus physicis et chemicis. Nunc statuendum quid proprie sit.

THESIS. — *Principium vitae vegetativae est ipsa forma substantialis corporis vegetantis.*

Prob. — Principium vitae nequit esse quid distinctum ab ipsa substantia viventis; nam vivens est quod *seipsum* movet aut saltem movere potest; principium autem primum omnium motuum seu operationum entium est ipsamet natura seu substantia entium. Ergo principium, quo corpus aliquod vegetat, nequit esse distinctum ab ipsa substantia corporis vegetantis. Sed in omni corpore duplex substantiale prin-

cipium reperitur: materia prima et forma substantialis (Cfr. p. I, c. II, a. II). Ergo debemus inquirere quodnam ex duobus his principiis substantialibus sit primum principium vitae in corpore vegetante. Iam inquisitio haec facillima evadit, materia enim est principium substantiale commune omnibus corporibus, determinabile in ratione substantiae, passivum; principium vero vitae: — 1) nequit esse commune omnibus corporibus, nam alioqui omnia corpora viverent (contra experientiam); — 2) nequit esse determinabile in ratione substantiae, nam per vitam vegetans dat novam determinationem substantialem materiae alimentorum, eamque sibi assimilat; — 3) nequit esse passivum, nam vivere est agere. Concludendum igitur principium vitae vegetativae esse ipsam formam substantialem corporis vegetantis.

Coroll. I. — Cum impossibile sit unum corpus habere simul duas determinationes specificas, duas formas substantiales (deberet enim simul habere duas essentias), dicendum in corpore plantae, praeter animam vegetativam, nullam aliam formam substantialem inferiorem inveniri; plantam autem ab anima vegetativa una simul recipere et *esse vivens* et *esse corpus*.

Coroll. II. — Anima vegetativa, cum peripateticis et scholasticis, definiri potest: *actus primus corporis physici, organici, potentia vitam vegetativam habentis.*

Dicitur: — 1) *actus primus corporis*, nam anima vegetativa, utpote forma substantialis materiae, dat ei ipsum esse substantiale, specificum, corporis, ex quo subinde profluunt omnes actus secundi, h. e. omnes entitates accidentales;

2) *Physici*, enimvero corpus, formatum ex coniunctione animae vegetativae et materiae primae, non est corpus artificiale, machina, quae utpote talis nullum in se habet principium operationis; sed est corpus naturale, corpus scilicet quod ex se agere potest;

3) *Organici*, quia corpus naturale, constans materia prima et anima vegetativa, non est corpus naturale quodcumque; sed est corpus instructum partibus diversis ad operationes diversas praeordinatis;

4) *Potentia vitam vegetativam habentis*, quia corpus



organicum, dum informatur ab anima vegetativa, elicere potest operationes, non solum transeuntes, sed etiam immanentes, vitales; et proprie actiones illas vitales, quae *nutritio, accretio* et *generatio* nuncupantur.

**Obi.** — Extant corpora viventia quae nullis potiuntur organis, sed constant unica cellula, et ideo *monocellularia* vocantur. Sed, iuxta relatam definitionem, anima vegetativa est actus corporis *organici*. Ergo, aut viventia monocellularia non habent animam vegetativam, aut relata animae vegetativae definitio est falsa.

**R.** — Obiectio tota innititur sensu ancipiti verbi *organici*. Verbum hoc (ex graeco *ὄργανον*), quamquam penes naturales significet plexum quemdam cellularum, sensu primo nihil aliud innuit, quam *instrumentum*. Porro unaquaeque cellula constat partibus diversis (Cfr. pag. 53) quibus utitur, tanquam instrumentis, ad functiones vitales exercendas. Ergo relata definitio animae vegetativae amplectitur etiam animas viventium constantium unica cellula, nullaue falsitate laborat.

§ III. QUOTUPLEX SIT IN UNOQUOQUE VEGETALI.

In praesenti paragrapho, sicut iam in praecedentibus, non agitur de principiis proximis operationum vegetalium, nempe de facultatibus vegetativis; sed agitur de principio remoto, primo, quod in ipsa substantiali entitate animae consistit. Facultates quidem sunt multae in unoquoque vivente creato; sed anima nonnisi unica esse potest, ut ex dicendis patebit.

**THESIS.** — *In unoquoque vegetali est anima una actu et multiplex potentia.*

**Prob. I p. (una actu).** — Ex mutua dependentia et harmonia quae viget inter omnes operationes uniuscuiusque vegetalis. Et vero, si non admittitur principium substantiale unicum, quod in unitate sua contineat cellulas numero pene infinitas, quae sensim sine sensu efformantur, easque ad finem, iam ab initio intentum et communem omnibus, iugiter dirigat,

modo dicta dependentia et harmonia explicari nequit; ipsa enim non procedit ab extrinseco, ut accidit in machinis, sed ab intrinseco; est dependentia et harmonia operationum vitalium; operationes autem vitales incipi ac terminari debent in uno eodemque subiecto. Ergo...

**II.** — Ex analogia cum belluis et hominibus. Sane certum est in unoquoque animali bruto, et in unoquoque homine, unicum esse principium primum totius vitae sensitivae et totius vitae intellectivae. Ergo, a pari, in unaquaque planta unicum esse debet principium totius vitae vegetativae.

**Prob. II p. (multiplex potentia).** — Constat ramos, a planta quadam abscissos, adhuc vivere non solum, sed: — 1) plantae diversae speciei insertos, producere fructus speciei plantae, cui iam pertinebant; — 2) in terram defixos in plantas novas, eiusdem speciei, converti. Haec evidenter non evenirent, si in ipsis non remaneret principium vitae i. e. anima. Ni itaque velimus fingere, contra nuper statutam thesim, multas actu esse animas in unaquaque planta, tenendum est, cum scholasticis et peripateticis, animam plantarum esse quidem *unam actu*, sed *multiplicem potentia*.

**Schol.** — Anima plantarum est multiplex in potentia et fit multiplex in actu per divisionem ipsarum plantarum. Ad praecavendas autem difficultates contra divisionem hanc iuverit sequentia recolere:

1) Formae, cuiusvis sint generis, *per se* dividi nequeunt; nam per se non habent ullam quantitatem, sed sunt dumtaxat unum ex duobus principiis necessariis ad constituendam substantiam *quantam*.

2) Formae inferiores, non-subsistentes, quippe quae non habent esse nisi in composito, i. e. in corpore, cum materia, parum supra materiam elevantur, et aliquatenus participant imperfectionem eius: unde, quo pacto per divisionem compositi dividitur materia, ita per divisionem compositi dividitur forma, ab illa dependens.

3) Compositum, si vita praeditum, non semper et quocumque modo dividi potest. Sunt enim viventia, praesertim inter animantia, quae requirunt magnam diversitatem partium ad vivendum; et sunt viventia, praesertim inter plantas,



quae fere nullam partium diversitatem requirunt. Partes illorum actuantur forma substantiali modo omnino diverso ac totum, proindeque decisae, iam sibi non sufficiunt, et necessario formam propriam, vitamque amittunt: partes istorum, contra, cum actuentur forma substantiali modo ferme simili ac totum, si certis conditionibus decidantur, nullo negotio suae existantiae providere possunt, sicque formam substantialem retinere, quae, si antea erat multiplex in potentia, tunc erit multiplex in actu.

4) Formae viventium, quae ita dividi possunt, parum differunt a formis mineralium: proprium est enim formarum, mineralia constituentium, dividi *per accidens*, h. e. per divisionem compositi. Differunt tamen eo quod formae mineralium, cum actuent totum compositum eodem modo ac singulas partes eius, dividuntur cum composito in partes vel minimas, absque ulla regula et conditione: formae vero viventium praedictorum, cum actuent solum aliquas partes modo illo quo actuant totum compositum, utique possunt, cum ipso composito, in illas partes dividi; at non in alias (Cfr. *S. th.* p. I, q. LXXVI, a. 8).

**Coroll.** — Ergo, non modo falluntur affirmantes unamquamque plantae cellulam suo peculiari principio vitae potiri, atque organa esse collectiones (*colonie*) tot viventium, quot sunt cellulae quibus coagmentantur; sed falluntur etiam affirmantes suo peculiari principio vitae potiri unumquodque plantae organum, atque plantam esse collectionem tot viventium, quot sunt organa eius.

**Obi.** — Quod est simplex, nullo modo dividi potest. Sed animae vegetativae sunt certo simplices. Ergo...

**R.** — *Dist. mai.* Quod est simplex simplicitate perfectionis, *conc.* nullo modo dividi posse; quod est simplex simplicitate imperfectionis, *nego.* — *Contrad. min.* Animae vegetativae sunt simplices simplicitate perfectionis, *nego*; sunt simplices simplicitate imperfectionis, *conc.*, et *nego cons.* — Simplicitas est *immunitas quaedam a compositione*. Sed aliquid esse potest immune, vel solum a compositione *ex aliis*, vel etiam a compositione *cum aliis*. Hinc duplex simplicitas, quarum prior competit omnibus rebus quae, etiamsi

non componantur ex aliis, tamen componuntur cum aliis ad existendum. Illa dicitur *simplicitas imperfectionis*, competit omnibus formis substantialibus inferioribus, ipsique materiae primae, nec semper excludit divisibilitatem per accidens seu per concomitantiam; ista dicitur *simplicitas perfectionis*, competit omnibus formis immaterialibus, seu independentibus quoad esse a materia, et quamlibet divisibilitatem semper excludit. Iam simplicitas, quae praedicatur de animis vegetativis non est simplicitas perfectionis; siquidem ipsae, ut mox demonstrabitur, dependent in suo esse a materia. Ergo...

§ IV. CUIUS NATURAE SIT ET QUOMODO ORIATUR INTEREATQUE.

Novimus iam animam vegetativam esse principium substantiale formale; novimus etiam ipsam esse unicam actu et multiplicem potentia in unaquaque planta. Nunc, ut natura eius, quantum fieri potest, clarescat, inquiremus: — 1) utrum sit materialis, utrum nempe sit a materia dependens in suo esse; — 2) quinam sit eius ortus et interitus.

THESIS I. — *Anima vegetativa est forma materialis.*

**Prob.** — Esse uniuscuiusque rei ex eius operatione dignoscitur; operatio enim emanat ab esse, sicut effectus a causa; causa vero dignoscitur per effectus. Ageiam, operationes animae vegetativae (nutritio, auctio, generatio) evidenter dependent a materia, siquidem non nisi in ipsa et cum ipsa expleantur. Ergo etiam esse animae vegetativae dependet a materia. Sed formae, quae habent esse dependens a materia, dicuntur formae materiales. Ergo...

THESIS II. — *Anima vegetativa fit nempe oritur per generationem, et interit per corruptionem.*

**Prob. I p.** (*fit... per generationem*). — Modus quo res aliqua fit, respondere debet modo qua ipsa habet esse; nam fieri non est nisi via ad esse. Atqui anima plantarum ha-



bet esse dependens a materia. Ergo anima plantarum fit dependenter a materia, i. e. per transmutationem materiae. Sed quae fiunt per transmutationem materiae dicuntur fieri per *generationem*. Ergo...

**Prob. II p.** (*interit per corruptionem*). — Modus quo res aliqua interit, respondere debet modo quo ipsa habet esse; nam *interitus* non est nisi cessatio ab esse. Atqui anima plantarum habet esse dependens a materia. Ergo anima plantarum interit dependenter a materia, i. e. per transmutationem materiae. Sed quae intereunt per transmutationem materiae, dicuntur interire per *corruptionem*. Ergo...

**Obi.** — Nequeunt corrumpi quae non sunt substantialiter composita; animae vero non sunt substantialiter compositae, siquidem non sunt corpora.

**R.** — Nec nos diximus animas plantarum corrumpi; sed diximus ipsas interire *per corruptionem*.

**Instat. I.** — Scholastici omnes dicere solent animas vegetativas et sensitivas *corrumpi*.

**R.** — Sed semper subiungunt, vel saltem subintelligunt, formulam *per accidens*, quae significat animas praedictas desinere, non per corruptionem propriam, sed per corruptionem corporum, i. e. per earum separationem a materia.

**Instat. II.** — Animae, cuiusvis sint ordinis, habent esse proprium. Iam si habent esse proprium, nescimus qua ratione esse hoc conservare non possint, etiam post separationem a materia.

**R.** — Ratione simplicissima, nimirum quia earum esse tanta imperfectione laborat, ut quemadmodum sine concursu materiae nequit operari, ita sine concursu materiae nequeat subsistere. Etiam accidentia habent esse proprium; nihilominus, statim ac separantur a substantia, deficiunt.

## PARS TERTIA

### DE SENTIENTIBUS.

In hac tertia et ultima Cosmologiae parte ordine solito procedemus. Sed cum brevitati studendum sit, omissis quae, potius quam ad philosophos, ad historiae naturalis tractatores spectant, statim in examen revocabimus operationes et facultates sentientium, h. e. animalium, ut subinde ad istorum naturam investigandam gradum facere possimus.

### CAPUT I.

#### DE FUNCTIONIBUS ET FACULTATIBUS SENTIENTIUM.

Constat animalia, praeter nutritionem, aucionem et generationem, plures alias functiones seu operationes exercere, quae illis tantum conveniunt, quaeque illa a caeteris viventibus secernunt. Functiones huiusmodi reducuntur et ipsae ad tres primarias, quae sunt: *sensatio, appetitio sensitiva, motus relationis*.

Sub *sensationis* nomine hic proprie venit actus quo animal percipit res materiales, sive ei externas (uti obiecta sensibilia i. e. obiecta quae valent organismum sentientis immutare), sive ei internas (ut immutationes ipsius organismi sentientis). — Nomine *appetitionis sensitivae* designatur passio seu affectus (nunc potius *emozione* vel *sentimento corporeo, animale*) qui in animali exoritur post perceptionem cuiusdam boni aut mali materialis. — Tandem nomine *motus relationis* designant nuperi omnem motum localem, quem animal exequitur, ab aliqua praevia sensatione et appetitione impulsus.

Sensationes, appetitiones et motus relationis, ut iam nunc